

libro data est ad imitationem Ecclesiasticus Salomonis et ob similem rationem. Graeci vero librum vocarunt *Sapientiam Sirach* Σοφία Σιραχ, qui titulus confirmat quae diximus de libri auctore.

Ecclesiasticus hebraice scriptus fuit, quemadmodum stylus versionis indicat, et prologus versioni graecae praefixus expresse affirmat: praeterea Hieronymus (Praef. in lib. Salomonis) ipsum textum hebraicum vidit Ecclesiasti et Cantico adiunctum sub titulo: *Parabola*. Hic vero textus iamdiu deperditus est: superest vero et ad instar textus habetur graeca libri versio, quam nepos auctoris confecit, ut ex eius prologo discimus. Si quaeratur auctoris ac libri aetas indicium suppeditat ipse auctor innuens se scripsisse, cum Simon iustus Oniae filius summum sacerdotium teneret (L, 1-22); quoniam vero duo occurrunt huius nominis summi pontifices, alter in principio, alter vero in fine tertii ante Christum saeculi, dubitari potest ad utrius epocham liber referendus sit; verum ad Simonem primum esse referendum apparet ex eo quod nepos auctoris in cit. prologo dicat se librum graece vertisse temporibus Ptolemaei Evergetis regis (A. C. 247-221) qui regnavit ante pontificatum Simonis secundi (A. C. 219-199). Latina Ecclesiastici versio, quemadmodum et Sapientiae, quam in Vulgata habemus, non est Hieronymi sed eo longe antiquior, ut in sequenti capite ostendemus. Notandum est versionem hanc in ordine sententiarum aliquantam a Graeca discrepare praesertim in capp. XXX-XXXVI.

Haec de libris Pentateucho posterioribus tum universim tum singillatim sumptis.

ARTICULUS III.

DE PENTATEUCHI GENUINITATE

Aggredimur nunc gravissimam de Pentateuchi authenticitate quaestionem, quod opus, quemadmodum inter sacros libros V. T. praecipuum est, et reliquorum veluti basis ac fundamentum, ita ab Religiosis hostibus prae ceteris impugnatur. Pentateuchus continet quinque Moysis libros, quos Hebraei uno vocabulo vocant *Thorah* תורה seu *Legem*. Initio quidem nulla videtur facta fuisse operis divisio, dein vero ab Hebraeis in quinque partes, seu libros, divi-

sum est, qui cum titulis carerent ab Hebraeis ex primis uniuscuiusque libri verbis appellati sunt: scilicet primus Liber appellatus est *Beresith* בראשית idest, *in principio*; secundus *Veelleh se-moth* שמות ואלה idest, *et haec sunt nomina*; tertius dicitur est *Vajikra* ויקרא seu, *et vocavit*; quartus *Vajiedabber* וידבר seu, *et locutus est*; quintus *Elleh Haddavarim* אלה הדברים seu, *haec sunt verba*. Graeci vero eosdem libros distinxerunt quibusdam nominibus quae singulorum materiam designant, scilicet primus liber vocatus est Γενεσις, seu *origo*, vel *generatio*, quia mundi et hominum originem narrat, secundus dicitur est Εξοδος, seu *exitus*, quia Iudaeorum egressum ex Aegypto refert, tertius Λευιτικον, seu *Leviticum*, quia de Levitarum officiiis pertractat, quartus Αριθμοι, idest *Numeri*, quia varias numerationes seu census Hebraeorum continet, quintus denique liber dicitur est Δευτερονομιον, idest, *secunda lex*, vel *iteratio legis*, quia legis repetitionem et veluti recapitulationem exhibet. Integrum autem opus appellatum est Πεντατευχος; seu *opus quinque librorum*. Latini has denominationes retinuerunt et opus vocant *Pentateuchum*, singulos autem libros: *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, et Deuteronomium*.

Praecipuum horum librorum argumentum est Legis per Moysen latae expositio, ita tamen ut simul cum lege historia narretur primum humani generis universim, tum gentis Hebraeorum specialim usque ad Moysi mortem. *Genesis* itaque incipit a mundi creatione, et primis capitibus breviter narrat rerum omnium originem a Deo creatore, protoparentum creationem, felicitatem, lapsum, poenam ipsi universoque humano generi irrogatam, simulque futuri reparatoris promissionem (I-III). Tum breviter narrat hominum propagationem, generalem corruptionem, et immisum a Deo Diluvium (IV-VIII): deinde narrata nova hominum propagatione ex superstita familia Noe, eorumque in varias stirpes ac gentes divisione (IX-XI) statim ad hebraicae gentis historiam transit, referens fustori stylo gesta Abraham Hebraeorum stiptitis, eiusque filiorum ac nepotum Isaac, Iacob et duodecim eius filiorum unde ortae duodecim tribus; familiae Iacobi adventum in Aegyptum, eorumque in Aegypto commorationem usque ad mortem Patriarchae Ioseph (XII-I). Quare totus hic liber historicus est, et reliquae historiae non solum sacrae sed etiam profanae fundamenta ac veluti semina complectitur.

Exodus praecedentem historiam continuans narrat Hebraeorum admirabilem in Aegypto multiplicationem, et sub Aegyptiorum tyrannide oppressionem (I-II), a qua divinitus liberati sunt per Moysen, qui ex Hebraea matre natus, sed in aula Pharaonis educatus a Deo electus est ut populum ex Aegypto educeret in vicinam terram Chanaan, quam Deus eorum patribus Abrahamo, Isaac et Iacobo promiserat. Moyses munus, reluctans licet, suscipit, et una cum fratre Aaron, fracta per decem portentosas plagas Pharaonis contumacia (III-XII), populum ex Aegypto educit, et per viam deserti Chanaan versus pergit. Mox celebratur primum Pascha et Hebraei Pharaonis eos persequentis iram eludunt, transmissa per prodigium mari rubro (XIII-XV). Tum pergentes per desertum post varias stationes, cum ad radices montis Sinai venissent, lex in summitate montis a Deo Moysi datur, et decalogus lapideis tabulis digito Dei inscriptus promulgatur. Huius legis expositio, et praesertim ea quae ad arcam foederis, tabernaculum ac caetera divino cultui destinata pertinent reliquam libri partem occupant (XVI-XX). Liber hic historiam continet peregrinationis Hebraeorum usque ad annum secundum post egressum ab Aegypto.

Leviticus historiam prosequitur per unius tantum mensis spatium: totus autem liber versatur in exponenda parte caeremoniali legis Mosaicæ. Itaque in primis septem capitibus traduntur variae oblationes et sacrificia, sive pacifica, sive pro peccatis, simulque ritus quibus offerenda erant. Sequitur solemnis consecratio sacerdotum (Aaron et filiorum), nec non tabernaculi, eiusque suppellectilis (VIII-X); deinde multa adduntur de immunditiis legalibus, et de criminibus diversis, pro quibus speciales poenae constituuntur (XI-XX): concluditur liber variis constitutionibus quae ad Sacerdotum munera, et ad sacras Hebraeorum festivitates pertinent (XXI-XXVII).

Numerorum liber reliquum peregrinationis tempus complectitur, scilicet 39 circiter annorum spatium, et varias Hebraeorum stationes enumerat, praecipue tamen censum exhibet tum familiarum generatim, tum speciatim Levitarum (I, IV, XXVII); narrat etiam mortem Aaronis, plures populi calamitates a Deo immissas, elevationem serpentis aenei in deserto, stragem Madianitarum, seditionem Core, et pulcherrimam Balaami historiam: adduntur hic illic variae constitutiones ac praecepta de Nazaraeis, et de nonnullis oblationum ritibus. Haec omnia XXXVI capitibus exponuntur.

Deuteronomium historiam proprie non refert sed Hebraeorum populum exhibet, expleta iam peregrinatione, campos Moab occupantem prope Iordanem e regione Iericho. Itaque Moyses in hoc libro imprimis summatim repetit peregrinationis historiam in praecedentibus libris narratam (I-IV), et in memoriam revocat beneficia per id temporis populo a Deo concessa. Et haec est prima Moysi oratio ad populum. Sequitur altera oratio qua Moyses decalogum rursus promulgat, idolorum cultum proscrit, et praemia ac poenas legem observantibus vel violantibus constituit (V-XIII). Insequentibus capitibus plura repetit, et clarius explicat de legibus iudicialibus et poenalibus alias commemoratis, ubi notanda sunt praecipue cap. XXVII, et XXVIII, ubi vehementi stylo maledictiones ac benedictiones referuntur pro fidelibus vel infidelibus Hebraeis. Denique Moyses Dei iussu sibi eligit successorem Iosue filium Nun, eique populum et legem a se istam commendat (XXXI), tum pulcherrimum edit canticum, ultimam benedictionem populo imperat, et cum oculis suis procul conspexisset terram promissam, senio confectus moritur quin ei concedatur in ea pedem figere (XXXII-XXXIV).

Haec est totius Pentateuchi summa qui certe opus est pulcherrimum, ac sublimissimum tum ob rerum gravitatem, tum ob styli et narrationis elegantiam. Notentur prae ceteris historia sacrificii Abraham (Gen. XXII), historia nuptiarum Isaac cum Rebecca (ibid. XXIV), et historia Iosephi (ibid. XXXVII-L): item promissiones Patriarchis factae, et prophetia de Messia venturo (Gen. XII, 7, XV, 48 seq. XXVI etc. Deut. XVIII, 15, 16), nec non duo Moysi cantica (Ex. XV, et Deut. XXXI).

Auctorem Pentateuchi esse Moysen certissime constat. Non fuerunt tamen qui contra universalem traditionem vel totum opus, vel partem Moysi abiudicarent.

1. Inter antiquos adversarios imprimis extiterunt Nazaraei, qui, teste S. Epiphano (haer. XVIII, 4), contendebant Pentateuchum quem nunc habemus eundem non esse ac originarium opus Moysi; quibus accessit auctor Clementinarum (Clement. hom. III, 47) qui ostendere conatur Moysen Pentateuchum scribere non potuisse. Etiam Ptolemaeus haereticus valentinianus in Epist. ad Floram (apud Epiphanium haer. XIII, 4) eandem opinionem proposuit. Horum sententia a tota Iudaeorum et Christianorum traditione

damnata ac proscripta fuit. Medio aevo duo ex Rabbiniis suorum traditioni contradixerunt, Isaac Benjascios saec. XI, et Aben Ezra saec. XII a caeteris damnati ac refutati. Serius Carlostadius, Hobbesius, et Spinosa Pentateuchi authenticam impugnarunt. Horum vestigia passim sequuntur recentiores Rationalistae imprimis Vater (*Commentär über den Pentat.* Halle 1802), et De Wette (*Beiträge Zur Einleitung ins A. T.* 1806), quos magno numero sequuntur alii eiusdem scholae auctores ut Volney, Ammon, Hartmann, Knobel, Ewald, Gesenius, et in Anglia Geddes, Davidson (*Introduction* 1862), Colenso (*The Pentateuch and Book of Joshua critically examined* 1862), auctor articuli *Pentateuchus* in dictionario Biblico Smithii etc. Horum sententia est Pentateuchum esse opus ex pluribus fragmentis diversorum auctorum conflatum quorum alia Moysae antiquiora sint, alia ab ipso Moysae conscripta, alia vero plura a variis auctoribus post Moysam prodierint, quae omnia denique a quodam recentiore Iudaeorum doctore in unum opus collecta ac digesta fuerint. Si vero ab iis quaeratur qua aetate compilatio haec facta sit, alii assignant in genere aetatem Iudicam, alii aetatem Davidis, alii tempus captivitatis Babylonicae, nec defuerunt qui cum Van Dale ad Esdrae epocham operis compositionem reicerent.

II. Nonnulli autem media via quodammodo incedentes authenticam Pentateuchi ex parte tantum admittere voluerunt ut Richardus Simonius et Peyrerius, quorum primus in sua *Histoire critique du V. T.* Chap. V, VI opinatur Moysam solam legem scripsisse, historiam vero quae in eius libris legitur a publicis notariis vel scribis profectam esse, quos tamen divinitus inspiratos fuisse admittit. Peyrerius autem in suo *Syst. Theol. ex praeadamitarum hypotesi* contendit Pentateuchum hodiernum non esse nisi compendium scriptorum Moysi, quae perierunt. Quem tamen errorem postea auctor cum reliquis retractavit.

III. Denique extiterunt alii, et adhuc sunt qui concedentes integrum Pentateuchum a Moysae prodidisse, contendunt tamen non omnia originario ab ipso Moysae esse conscripta, sed in primo libro praesertim, seu Genesi, plura extare fragmenta Moysae antiquiora ab eo tamen collecta, et suo operi inserta: ita primum Carolus Le Gene minister protestans Parisiensis, et Astruc medicus Bruscellensis, quos etiam Iahnus et Ackermann (*Introd. Part. II, §. 46 et seq.*) cum aliis nonnullis ex nostris sequuntur. Horum sententia

vel omnino reiicienda est, vel tolerari potest pro varia nempe ratione qua proponitur et explicatur, ut postea videbimus.

Vera sententia quam universalis constans traditio nec non interna argumenta certissimam reddunt tenet Pentateuchum a Moysae auctore prodidisse integrum, et in ea forma qua nunc extat. Attamen non est hoc ita rigide accipiendum ut intelligatur minima quaeque quae in Pentateucho leguntur a Moysae scripta fuisse; scilicet negandum non est quaedam posteriori aetate ab Agiographis, praesertim Iosue, et Esdra. Pentateucho adiecta fuisse, puta breves quasdam notas, nominum quorundam explicationes, et certe postremi octo versiculi, quibus mors et sepultura ipsius Moysi narrantur. Quamvis et haec sobrie admodum admittenda sunt, nec ferenda est temeritas lo. Iahnii qui huiusmodi additamenta eo usque extendit ut ipsius operis authenticam labefactare videatur, et ea de causa ab ipsis protestantibus vapulaverit.

In tanta errorum et opinionum varietate ut veram sententiam plene ac pro merito tueamur propositum est tractationem in tres partes dividere. 1° Scilicet de Moysi existentia agemus; nam et hoc demonstrare cogimur adversus quosdam criticos ex rationalistarum scholis, qui ipsam historicam Moysi, personam negant, eamque mythicam seu fabulosam dicunt. 2° Demonstrabimus Moysam esse Pentateuchi auctorem. 3° Denique crism instituemus opinionis superius memoratae qua dicitur Geneseos librum ex variis antiquioribus fragmentis a Moysae collectum et compilatum fuisse.

THESIS XXIII.

*Moyes Hebraeorum dux, et legislator
est persona historica ac realis.*

Proposita Thesis breviter a nobis demonstrabitur adversus inanes adversariorum dubitationes, et coniecturas 1° ex domestico hebraicae gentis testimonio 2° ex profanorum scriptorum attestatione.

1° Ad Iudaeos quod attinet adversarii non negant Hebraeorum nationem antiquissimam esse, et ab ea saltem aetate descendere qua Moyses vixisse dicitur, scilicet quindecim circiter ante Christum saeculis: item negare non possunt Hebraeos a caeteris gentibus separatos plerumque vixisse, propriis vixisse legibus et sua

rum traditionum tenacissimos fuisse. Haec enim omnia ex historia universali certissimos constant. Si igitur demonstrari possit Hebraeos per omnes aetates persnasos fuisse de Moysi existentia, eumque veluti legislatorem suum veneratos fuisse, tale aderit pro historico Moysi caractere argumentum quo gravius adversarii nec afferre nec desiderare possunt ad ullius antiqui viri existentiam demonstrandam. Porro haec constans Hebraeorum traditio ac testimonium patet 1° ex eorum scriptis, quorum authentiam superius demonstravimus 2° ex orali eorum traditione.

1° Testimonium scriptum Hebraeorum in omnibus poene sacris libris occurrit, qui cum ad varias aetates pertineant, seriem seu catenam continuum testimonium exhibent pro reali, ac historica existentia Moysi. Ut enim inverso temporum ordine procedamus Christus, et Apostoli de Moysi tamquam persona historica loquuntur, eius verba referunt, gesta narrant, virtutes laudant. Secundo ante Christum saeculo honorifica Moysi mentio occurrit 2 Mac. VII, 6; tribus ante saeculis Esdras, et Nehemias de Moysi loquuntur (1. Esdr. III, 2, VII, 6, 2 Esdr. VII, 6, VIII, 23). Ante illos aetate captivitatis Babylonicae Daniel, et Baruch Moyssem laudant (Dan. IX, 11, 13; Bar. II, 28). Ante captivitatem testimonia occurrunt Iosiae regis (2 Reg. XXIII 21, 1 Par. XVI, 40, 2 Par. XVII, 9 etc.). Imo in ipso exordio epochae Regum testimonia habemus Samuelis (1 Reg. II), et Davidis (in psalmis passim): denique ante Reges ipsa aetate Iudicum, quae Moysi vicina est, testimonia occurrunt in libris Iudicum, Ruth, et Iosue (Iud. III, 4, Ruth IV, Ios. I, 7, 8, VIII, 30 etc.). Atque ita per varias aetates pervenire licet usque ad testes, qui aetate proximi Moysi fuerunt, et quidem testes non poetas, vel fabularum scriptores, sed vere ac proprie historicos.

Oralis autem traditionis existentia in re de qua agimus ex tota Hebraeorum historia colligitur: quousque enim extenditur memoria huius gentis, et ubicumque eius mentio occurrit, non aliter eam videmus, quam sub lege Moysi viventem, et ipsius memoriam venerantem.

II° Accedit profanorum scriptorum et exterarum gentium traditio. Sane, omissis gravissimo Samaritanorum testimonio, de quo inferius disseremus, Ethnicorum testimonium adducimus, quod Iustinus M. in Cohort. ad gent. Iosephus Flavius in libro 1° contra App. et post eos Eusebius in Praep. Evang. Lib. IX, Cap. 27-29

exponunt, qui quidem plura antiquissimorum scriptorum testimonia collegerunt, quorum opera nunc deperdita sunt, ubi de Moysi eiusque gestis fit mentio. Inter hos testimonia adducunt *Polemonis*, qui aetate Ptolemaei Epiphani floruit, *Philocori* Atheniensis aetate Ptolemaei Philopatoris, *Eupolemi* et *Artapani* antiquissimorum scriptorum, et aliorum plurima quorum nonnulla a nobis afferentur in sequenti Thesi. Hic sufficiat proferre testimonium *Manethonis* vetustissimi Aegyptiorum scriptoris, et *Strabonis* ex primis Graecorum historicis. Itaque Manethon apud Iosephum Flavius loc. cit. ait: « Politiam et leges composuit eis (Hebraeis) sacerdos quidam Eliopoleos qui vocabatur Moyses: » nec difficultatem facit quod Moyssem dicat sacerdotem Hieropolitanum, hoc enim pagano scriptori indulgendum est qui sciens Moyssem in Aegypto natum et educatum, eundemque sacrorum rituum instauratorem fuisse, putavit illum Solis templo addictum fuisse, ubi celebres erant Aegyptiorum sacerdotes. Strabonis autem testimonium occurrit in lib. XVI hist. ubi scribit: « Moyssem exosum profanos Aegyptiorum mores, collecta ingenti piorum hominum multitudine, concessisse in Iudaeam, ibique fixis sedibus, et sanctis Dei colendi ritibus institutis, abiectoque potissimum et eiurato idolorum cultu, non tam vi et armis quam pietate imperium confirmavisse. » Huetius in demonstr. Evang. prop. IV* Capp. 2 et seq. praeter multa antiquorum scriptorum testimonia aliud etiam argumentum adducit ex gentium mythologiis, in quibus omnibus dicit Moysi historiam variis figmentis ornata inveniri, idque mira prorsus et recondita eruditione demonstrare satagit de Indis et Sinensibus (cap. 6), de vetustis Europae et Americae populis (cap. 7), praecipue autem de Graecis et Romanis, apud quos contendit praecipuas fabulosas divinitates, et mythicos heroes a Moysi historia originem habuisse; ita ex. gr. Apollo, Priapus, Aesculapius, Minos, Rhadamantus, Orpheus apud Graecos, et Ianus, Vertumnus, Faunus, Silvanus etc. apud Romanos, iuxta Huetium, nihil aliud sunt quam ipse Moyses, cuius historiam per traditionem acceptam, aliis atque aliis fabularum additamentis, gentes istae vitaverint atque immutaverint. Qua in re, licet videatur Illius auctor plus aequo phantasiae atque ingenio indulsisse, negari tamen non potest multa quae ab eo proferuntur revera ostendere veram Moysi personam ac historiam antiquis populis notam

fuisse, eorumque traditionibus plus minus corruptis ac fabulis commixtis materiam praebuisse.

Obicit Voltaire in *Lexico-Philosophico*, ubi Moysi existentiam in dubium revocat, silentium Aegyptiorum scriptorum de Moysē: « Si enim, inquit, homo toti naturae prodigiose imperans apud Aegyptios vixisset, numquid tam stupenda facta praecipuum Aegyptiacae historiae partem non efformarent? numquid Sanchoniaton, Manethon, Megasthenes, Herodotus de iis siluissent? »

Respond. imprimis, si nulla Aegyptiorum scriptorum testimonia afferri possent, non ideo demonstratum esset, Moysē nunquam existisse; cum ex una parte constans Hebraeorum testimonium habeamus, quorum scripta monumenta profanam quaecumque historiam antiquitate superant; ex alia vero parte perpauca ex antiquis Aegypti scriptoribus supersint a Graecis, Latinisque servata, eaque relative saltem recentiora. Verum concedendum non est Aegyptios scriptores de Moysē omnino siluisse, vel eum ut fictitiam personam traduxisse. *Manethonis* testimonium superius recitavimus ex Iosepho Flavio, cui addi potest alter Aegyptius scriptor *Chaeremon* qui in sua Aegypti historia de Moysi gestis, et de Hebraeorum exitu mentionem fecit. Unde Voltairii sive inscitia, sive mala fides apparet: quae etiam clarius innotescit, ex eo quod *Megasthenis* silentium urget; cum scriptor iste non Aegypti historiam, sed Indiae conscripserit, et haec ipsa iamdiu perierit. Ad *Sanchoniatonem* quod attinet, praeterquamquod nonnulli dubitant an unquam extiterit (1), is neque in Aegypto floruit, sed in Phoenicia, et Phoenicam historiam scripto consignasse traditur; ac praeterea ex eius scriptis nonnisi pauca fragmenta apud Eusebium supersunt. De *Herodoto* autem observamus eum in rebus Aegyptiorum narrandis ignorantiam suam proderere, quod Iosephus Flavius in Lib. I contra App. notavit, et ante illum Tullius in Lib. I De natura Deor. ubi Herodotum *patrem mendaciorum* appellat; quare etiam a Manethone reprehensus dicitur (Ios. loc. cit.).

(1) In hac quaestione Dodwell Anglus negativam sententiam tenet, multisque argumentis probare nititur, cui Ursinus et Richardus Simon praeciverant, et plures et recentioribus criticis subscribunt. Realem vero Sanchoniatonis existentiam communiter eruditi defendunt, quo quibus omnibus legi potest Siguier de Saint-Brisson in speciali dissertatione inserta in *Annales de Philos. Chret.* An. 1839. To. XVIII, et a Migne reproducta ad calcem tomi III opp. Eusebii.

THESIS XXIV.

Moses Hebraeorum dux et legislator Pentateuchi auctor est.

Ad hanc Thesim probandam argumentis utemur I. externis, II. internis.

§. I. Argumenta externa.

Ea ipsa testimonia, quibus Moysi existentiam ostendimus, si ulterius expendantur demonstrant etiam Moysē esse Pentateuchi auctorem. Itaque proponendum nunc est, et in suo lumine collocandum praecipue Hebraeorum testimonium, quod quidem vel *scriptum* est, vel *non scriptum*, seu traditionale: cui postea addeamus testimonium *profanorum scriptorum*.

A. *Testimonium traditionale* ex tota Hebraeorum historia luculentissime patet. Sane, Iudaeorum consensus numquam alteri quam Moysi Pentateuchum adscripsit; nam sub Moysi nomine eum in synagogis legere consueverunt (1), nec unquam aliter eos sensisse quisquam suspicatus est. Possumus igitur contra adversarios urgere argumentum *praescriptionis*, quod in re facti gravissimum est. Scilicet Iudaeos de Mosaica Pentateuchi origine usque ab immemorabili aetate persuasos videmus; si igitur contrarium adversarii ostendere volunt, oporteret eos certa ac evidentiali afferre argumenta, et traditionem Iudaeorum contraria traditione evertere; quod tamen nec praestare possunt, nec tentare quidem audent; nihil enim aliud contra afferunt nisi leves coniecturas, philologicae subtilitates, rationculas a priori petitas, et alia huius generis, ut postea videbimus.

Confirmatur validissime hoc argumentum ex Pentateuchi indole ac materia. In hoc enim opere multa continentur Hebraeis ingrata

(1) Act. XV, 21 : « Moyses, inquit S. Iacobus, a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi *per omne sabbatum legitur* » quod etiam Paulus 2. Cor. III. 15. testatur inquitens: « Sed usque in hodiernum diem *cum legitur Moyses* velamen positum est super cor eorum (Iudaeorum). » Hoc etiam apparet ex antiqua Pentateuchi divisione in 54 sectiones pro publica lectione singulis sabbatis sub Moysi nomine facienda, de quibus in Cap. seq.

ac probrosa, et praecepta satis dura ac difficilia, quae proinde Hebraei nunquam recepissent nisi certissime eis innotuisset Moysen illius operis auctorem esse, cuius imperio ac testimonio resistere non poterant.

B. *Testimonium autem scriptum* in libris ac monumentis Christianorum ac Iudaeorum continetur. Quod quidem tum ex iisdem libris *generatim* inspectis apparet, tum *speciatim* ex apertis testimoniis ibidem extantibus.

Ad 1^{am} quod attinet, omnes libri sacri Iudaeorum Pentateuchum supponunt, in eo innituntur, et eo posito explicantur, eo vero sublato inexplicabiles fiunt. Sane libri Regum et Paralipomenon et ad Moysi legem passim alludunt, et historia in iis narrata tota quanta est eandem legem supponit, et ab ea explanationem mutuari debet. Huc pertinent quae de Regum sive pietate sive impietate ibidem narrantur, eorum elogium vel reprehensiones, praemia vel poenae, et varia erga populum merita. Libri Prophetarum nihil frequentius urgent quam Legis Mosaicae custodiam, ad quam ubique appellant, quamque varia ratione confirmant, aut commentantur. Libri Iudicum, et Ruth Hebraeos exhibent iuxta Moysi legem et instituta, prout in Pentateucho leguntur, viventes, a quorum observantia vel violatione eorum sors ac felicitas pendet. Denique ipse liber Iosue Pentateuchum supponit, et eo sublato intelligi minime potest. Quaecumque enim narrat de Iosue et Hebraeorum gestis, de terrae divisione, de diversis tribuum iuribus, deque eorum iurgiis ac querelis, omnia, inquam, historiam et legem in Pentateucho relatam supponunt. Quare si Pentateuchus recentius opus esset, ut adversarii contendunt, ceteri quoque libri spurii esse deberent, vel saltem ita graviter interpolati ut recentiori illi Pentateucho respondere possent. Quod tamen in tanto librorum numero, et tam diversis aetatibus conscriptorum, et inspecta tam religiosa erga illos Hebraeorum veneratione, absolum est cogitare, quemadmodum etiam superius demonstratum est.

2^o Si vero *speciatim* singulorum librorum testimonia expendantur, occurrit in iis continuata testium series, quae ab aetate Christi usque ad ipsam Moysi aetatem extenditur, ac Pentateuchum cum Evangelio connectit. Sane Christus et Apostoli Pentateuchum Moysi adscribunt passim. Respondens olim Sadducaeorum obiectioni Christus aiebat Mr. XII, 26: « De mortuis autem quod re-

» surgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixit illi Deus, inquit: Ego sum Deus Abraham etc. ? » ubi Pentateuchum vocat *librum Moysi*, eiusque sectionem Ex. III citat per illum titulum « *super rubum* »; quod etiam clarius apparet ex modo quo Lucas XX, 37 eadem Christi verba refert: « Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum etc. » Rursus loquens de lege divortii Mr. X, 5: « Moyses, inquit, ad darditiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud » nempe Deut. XXIV, 1. Iterum Io. V, 46, 47 de Moysse loquens ait: « De me enim ille scripsit: si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis ? » Omittimus plurima alia loca, ubi Christus librum Legis universim, vel specialia eius praecepta Moysi adscribit ut Math. XXII, 23-29, Luc. XX, 37, XXIV, 44, Io. VII, 22, VIII, 5 et alibi. Non minus explicitum est Apostolorum testimonium. S. Iacobus in Concilio Ierosolymis habito (Act. XV, 21): « Moyses, inquit, a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur » scilicet eius Pentateuchus. Eadem ratione Paulus 2 Cor. III, 15 ait: « Sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum (Iudaeorum) ». Omittimus testimonium Petri Act. III, 22, Iohannis Apoc. XV, 3, et Io. I, 17, Philippi Io. I, 45, Lucae II, 22, Stephani Act. VII, 37, 39 et aliorum passim. Unde manifestum fit Christum, et Apostolos eorumque discipulos, non secus ac totam Hebraeorum gentem, per illam aetatem Mosaicam Pentateuchi originem certissime tenuisse. Ab Apostolica aetate paulo altius ascendentes, Pentateuchum ut Moysi librum habitum fuisse inde a tempore captivitatis Babylonicae, apparet ex postremis libris canonicis, ex quibus primus Machabaeorum mentionem de eo facit (1 Mac. I, 59): « et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos; » et 2 Mac. VII, 6 legitur: « Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione canticum declaravit Moyses: et in servis suis consolabitur » quae verba leguntur Deut. XXXII, 36. Paulo ante Machabaeos Malachias prophetarum ultimus in fine sui vaticinii (IV, 4) Dei nomine aiebat: « Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et iudicia. » Huic coaevus Nehemias in suo libro cap. XIII, 1 scribit: « In die autem illo lectum est in volumine (Legis) Moysi quod non debeant introire

Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei usque in aeternum » (Cfr. Deut. XXIII, 3, Num. XIII etc.). Item VIII, 1 legitur: « Et dixerunt Esdrae scribae ut afferret *librum legis Moysi*, quam praeceperat Dominus Israeli » et postquam Esdras coram populo librum legisisset subditur vers. 14: « et invenerunt *scriptum in lege*, praecepisse Dominum *in manu Moysi*, ut habitent filii Israel in tabernaculis in die solemnibus, mense septimo » (Cfr. Ex. XXIII, 46, Lev. XIII, 34, Deut. XVI, 13 etc.), et clarius I Esd. XII, 18: « et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis, et levitas in vicibus suis super opera Dei in Ierusalem *sicut scriptum est in libro Moysi* » (Num. III, 6, VIII, 9).

Tempore captivitatis Babylonicae *liber Moysi* laudatur a Daniele (IX, 11): « Et omnis Israel, inquit, praevaricati sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos maledictio, et detestatio, quae *scripta est in libro Moysi* servi Dei, quia peccavimus ei; » et vers. 13: « *Sicut scriptum est in Lege Moysi*, omne malum hoc venit super nos » (Deut. XXVII). Paulo ante Danielem, Baruch scribebat (II, 28 seq.): « Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi in die, qua praecepisti ei *scribere Legem tuam* coram filiis Israel dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo haec magna convertetur in minimam inter gentes, quo ego eos dispergam, etc. » quae reapse leguntur Lev. XXVI, 44, et Deut. XXVIII, 15. Ante aetatem Baruch, durante captivitate Assyriaca, in libro Tobiae (VII, 44) Raguel Saram filiam suam Tobiae in uxorem tradit: « Ut ista coniungeretur cognationi suae *secundum Legem Moysi* » (Num. XXXVI, 6).

Pro epocha Regum plura in sacris libris occurrunt testimonia. Ut enim inverso ordine procedamus, 4 Reg. XVI, 6 Rex Amasias parci filii interfectorum patris sui: « iuxta quod *scriptum est in libro Legis Moysi* » (scilicet Deut. XXIV, 16). Sub rege Iosaphat (2 Par. XVII) mittuntur Sacerdotes et Levitae ad Iudaeos in Lege docendos, hi autem: « Docebant populum in Iuda, habentes *librum Legis Domini*. » Sub rege Iosia (4 Reg. XXII, 8 seq. et 2 Par. XXXIV, 14) Helcias summus sacerdos circa templum reperit: « *librum Legis Domini per manum Moysi*, » scilicet ipsum Moysi autographum, ut alias dicemus (1). David morti proximus (3 Reg. II, 3)

(1) Sub eodem rege Iosia solemniter Pascha celebratum est, et oblata sacrificia, sicut *scriptum est in libro Moysi* (2 Par. XXXV, 12).

Salomonem hortatur ut diligenter perficiat quaecumque a Moysae scripta sunt: « Observa, inquit, custodias Domini Dei tui ut ambules in viis eius, ut custodias caeremonias eius, et praecepta eius, et iudicia, et testimonia, *sicut scriptum est in Lege Moysi*; » idem vero in psalmis de Moysi libris mentionem facit.

Denique ipsa aetate Iudicam, Moysi proxima, testimonia de eius libris occurrunt; et quidem imprimis liber Ruth, cuius historia ad hanc aetatem pertinet, manifeste supponit Pentateuchi existentiam, ut supra vidimus, praesertim cap. IV (Cfr. Deut. XXV, 5-7 etc.). In libro quoque Iudicum III, 4 legitur: « Dimisitque (Dominus) eos ut in ipsis experiretur Israel, utrum audiret mandata Domini, quae praeceperat patribus eorum *per manum Moysi*, an non. » Denique in ipso Iosue libro clarissima hac de re occurrunt testimonia: Deus ipse in principio libri (I, 7, 8) ita Iosue alloquitur: « Confortare, et esto robustus valde: ut custodias, et facias *omnem Legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus*. . . . Non recedat *volumen Legis huius* ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quae scripta sunt in eo. » In capite vero VIII, 30 seqq. legitur: « Tunc aedificavit Iosue altare Domino Deo Israel in monte Hebal: sicut praeceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in *volumine Legis Moysi* (Ex. XX, 25, Deut. XXVII, 2-13). . . . Et scripsit super lapides Deuteronomium (Hebr. *repetitionem*, תּוֹרַת מִשְׁפָּטָה seu *exemplar*) Legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel. » Eadem recurrunt Cap. ult. v. 26, ubi idem Iosue dicitur scripsisse: « omnia verba haec in *volumine Legis Domini* » scilicet ad calcem ipsius voluminis, ut alias explicatum est. Ex hisce quae breviter inuimus satis manifeste apparet memoriam *voluminis*, seu *libri Moysi* in omnibus scriptis Hebraeorum monumentis extare, quae, cum ad varias aetates pertineant, continuatam testium seriem efficiunt ab aetate Christi usque ad ipsum Moysam, ac proinde Mosaicam Pentateuchi originem invictè demonstrant.

Argumento superius exposito nonnulla obiecta sunt primum a Rich. Simonio, dein vero a Vater aliisque recentioribus Rationalistis. Simonius itaque obicit (Hist. crit. du vieux Test. Chap. 2) testimonia superius adducta nihil aliud ostendere nisi Moysam autorem esse *Legis* in Pentateucho propositae, et eam quidem scripsisse, non autem integrum opus, quod magna ex parte histori-

cum est; in citatis enim textibus *Lex Moysi, Liber Legis, volumen Legis* semper commemoratur. Vater autem neque hoc admittere vult, sed praefatos textus hoc unice demonstrare affirmat, plures usque ab aetate Moysi scriptas leges et historias extitisse, quae eiusdem Moysi praecepta vel gesta praecipue continerent, non autem ipsam legem vel historiam in ea forma quam nunc praesefert a Moysae produisse.

Quibus tamen respondere facillimum est. Testimonia enim illa non seorsim, sed collective accipienda sunt, nec tantum iuxta materialem verborum sonum, sed iuxta usum loquendi Hebraeorum. Iamvero ex tota textuum serie clarissime apparet Iudaeos Moysae ipsum non solum legislatorem, sed et Legis scriptorem habuisse; saepe enim dicitur eum *scripsisse* praecepta quae citantur, eaque vocantur Moysi *verba ac litterae*, nec unquam alius nominatur qui Moysi legem scripto mandaverit. Omnia vero testimonia quae tamquam Moysi allegata inveniuntur tum in N. tum in V. T., quaeque plurima sunt, in nostro Pentateucho suis locis inveniuntur. Quod autem sub *Legis nomine*, etiam historicae Pentateuchi partes veniant, certissimum est tum ex intimo nexu, quo Lex et historia in hoc opere sibi invicem cohaerent, ita ut altera ab altera separari non possit; tum etiam et praecipue ex usu loquendi Hebraeorum, qui integros libros Pentateuchi sub nomine *Thorah*, seu *Legis*, in canonem retulerunt, quod sine dubio ex antiqua consuetudine factum est; appellatio enim ex praecipua et potiori operis parte desumitur: nec aliunde in aliis libris nominandis accuratioribus fuerunt Hebraei, cum et plures historicos libros *Prophetas* appellent, et aliquos propheticos inter *Agiographa* collocent, ut alias monuimus. Monet igitur in suo robore argumentum ex Hebraeorum traditione, pro Moysae Pentateuchi auctore.

C. Ad maiorem rei confirmationem addimus etiam *profanorum testimonium*, scilicet, 1° Testimonium gentis Samaritanae, 2° Testimonium Ethnicorum.

1° Testimonium *Samaritanorum* — Samaritani diversum omnino ab Hebraeis populum constituerunt et adhuc constituunt, quamvis multa cum illis communia, habeant, inter quae numeranda est Legis Mosaicae observantia, et Pentateuchi veneratio, quem Moysi auctori semper adscriperunt. Sane apud Samaritanos Pentateuchus Moysi reperitur et quidem duplici modo, tum scilicet ipse

Textus Hebraicus characteribus tamen Samaritanis descriptus (qui sunt ipsi antiqui Hebraeorum characteres ante captivitatem apud eos recepti), tum vero versio quaedam eiusdem textus in dialecto Samaritana, quae ex commixtione Syriacae linguae cum Arabica exorta est. Pentateuchus Samaritanorum, nempe textus ipse Pentateuchi antiquis Patribus ignotus non fuit; deinde vero oblivioni traditus, recentiori aetate iterum innotuit cum nempe anno 1616 Petrus Della Valle celeberrimus itinerator Italus, exemplar eiusdem Pentateuchi Damasci emptum in Europam attulit, quem P. Morinus in Polyglottis Parisiensibus primo imprimendum curavit; deinde vero alii quoque codices sive textus, sive versiones Samaritanae Pentateuchi allati sunt, et in variis Europae bibliothecis asservantur. Ex hoc itaque Pentateucho Samaritano non leviter confirmari dicimus Hebraeorum traditionem de eodem Pentateucho, eiusque auctore Moysae. Verum ut argumentum recte intelligatur res alius repetenda est, et pauca de Samaritanae gentis origine ac historia praemittenda sunt (1). Itaque recolendum est ex sacra historia paulo post Salomonis mortem decem tribus a dynastia Davidis recessisse, et constituto sibi rege Ieroboamo, separatam a regno Iuda et Benjamin regnum constituisse, quod vocatum est regnum Israel. Ieroboam eiusque successores ob politicam rationem, ne populus ad Davidis successores rediret, prohibuerunt ne Israelitae Hierosolymam se conferrent ad sacrificia in templo Salomonis offerenda iuxta Legis Moysi praescriptam, altaria quoque in excelsis aedificarunt, et vitulum aureum adorandum proposuerunt, electis ex infima plebe sacerdotibus profani cultus, et coactis legitimis sacerdotibus ac ministris ex tribu Levi a regno discedere (3 Reg. XII seq. 2 Par. XI, 14. 15). Ita factum est, ut populus Israel non solum politico regimine, sed et religione a Iudaeis discreparet; quod tamen non ita intelligendum est, ac si vera religio et sinceri Legis Mosaicae cultores apud eos omnino defecerint. Constat enim plures ex Israelitis ab idolorum cultu alienos fuisse, et Mosaica instituta, quatenus fieri poterat, observasse, argenteis Sacerdotibus et Levitis, quorum nonnulli in regione permanserant, ac imprimis Prophetis, qui tunc magno numero a Deo suscitati

(1) Plura de Samaritanis quaevis possunt apud Morinum, et Walton; inter recentiores vero legi meretur opusculum Ab. I. L. Barges cui titulus: *Les Samaritains de Naplouse*, Paris. 1855.

sunt. Gens ista, cum Samariam ab Amri aedificatam urbem principem ac regni sedem haberet, poterat Samaritana vocari; non tamen solet hoc nomine in Scripturis designari. Post tria circiter saecula Salmanasar, rex Assyriorum, expugnata Samaria, et Osee rege Israel cum maxima populi parte in Assyriam abducto, finem eidem regno imposuit, quod nunquam deinceps restitutum est (A. C. 724, 4 Reg. XVII). Itaque, vastata regione Samariae, et paucis relictis incolis, rex Assyriae colonos ex Assyriorum provinciis Avah, Emath, Sepharvaim, et praecipue Cutha illuc immisit, ut regionem colerent, et habitarent; qui cum paganae superstitioni addicti essent, ex Dei consilio a leonibus vexabantur, et interficiebantur. Cum id ad regem Assyriorum (qui tunc erat Assarhaddon) delatum fuisset, iussit unum de Sacerdotibus Israeliticis quos captivos abduxerat in regionem Israel redire *ut habitaret cum eis, et doceret eos legitima Dei terrae*. Tunc factum est ut gens illa *Dominum* quidem *coleret*, sed simul *Diis quoque suis serviret*. Hic itaque populus, Assyriacae originis maxima ex parte, sed in regione Israel domicilium habens, et cum Israelitarum reliquiis commixtus *Samaritanus* vocari coepit a Iudaeis, aliquando vero etiam *Chutaei* vocantur quia magna eorum pars ex Cutha provincia illuc emigraverat. Quamvis inter Iudaeos et Samaritanos initio discordia aliqua existeret, non tamen haec tanta fuit, quantum postea scimus extitisse. Huius enim simultatis, ac animorum aversionis origo repetenda est ex eo tempore quo Iudaei e Babylonia reversi restorationi templi, atque urbis instabant. Tunc enim Samaritani conati sunt a Iudaeis impetrare, ut eis permetterent partem in hoc opere habere, et cum a Iudaeis reiecti fuissent hac repulsa irritati templi ac urbis aedificationem multis modis impedire conati sunt (2 Esdr. II, 40; IV, VI, etc.). Hinc aperta inter utramque gentem inimicitiae ortae sunt. Crevit autem odium ac discordia aetate Alexandri Magni, cum scilicet Manasses quidam Sacerdos Iudaeus, Summi Pontificis laddo frater, sacerdotio privatus eo quod nollet uxorem Samaritanam dimittere, ad Samaritanos transfugit, et impetrata ab Alexandro M. facultate, templum in monte Garizim extruxit, ubi sacrificia ac ritus a Moyse praescriptos celebrare coepit. Tunc enim multi Samaritanorum Manassem sequuti templum Garizim tamquam sedem religionis habere coeperunt, et ex eo tempore relictis omnibus paganis superstitionibus pro veris Israelitis

haberi voluerunt. Ita templum Garizim tamquam aemulum templi Hierosolymitani habitum est, et acerrima orta est controversia cum Iudaeis, de loco ubi Deus adorandus esset. Huius controversiae vestigia occurrunt inter Iudaeos et Samaritanos, qui in Aegyptum deportati fuerant a Ptolemaeo Lagi, et ibi suas disceptationes de Hierosolyma et Garizim continuarunt. Imo etiam postquam Iohannes Hircanus, ducentis post annis, templum Garizim evertit, Samaritani pergebant in eodem monte sacrificia offerre in altari ibidem aedificato. Ita discordia duravit usque ad aetatem Christi, cum legimus mulierem Samaritanam miratam fuisse quod Christus Iudaeus aquam ab ea posceret: « *non enim, inquit, contantur Iudaei Samaritanis* »; statim autem ac animadvertit Christum prophetam esse, veterem quaestionem illi proposuit: « *Patres nostri, inquit, in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet* » (Io. IV, 9, 20). Eiusdem discordiae mentio fit etiam in libro Ecclesiastici (L. 27, 28). Post Christi adventum et Iudaeorum dispersionem Samaritanorum gens extincta non est, sed quamvis ad paucas familias redacta, post tot saecula adhuc perdurat ita ut videatur, iuxta Bossueti animadversionem, a divina Providentia conservata fuisse eo tantum fine ut suffragio suo Pentateuchi antiquitatem et authenticam confirmaret. Nunc temporis Samaritani in nonnullis pagis Palaestinae commorantur, imprimis vero Neapoli (Napusa), quae est antiqua Sichem, non procul a monte Garizim. Isti Moysi legem se habere gloriantur, circumcisionem, pascha, sabbata et alia festa legalia observant, et matrimonia inter se ineunt ne cum Iudaeis, aut Islamitis misceantur. Ab his codices Pentateuchi eruditi viri impetrarunt, et cum iis commercium epistolare instituerunt Scaliger, et recentium Gregorius Episcopus An. 1810, et Silvester De Sacy: postremis hisce annis summus Sacerdos apud Samaritanos erat quidam Scialmah Ben Tabia, a quo multa didicit superius laudatus Barges (Vide op. cit.).

Haec sufficiant de historia Samaritanorum. Hisce itaque praemissis, quaeritur undenam et qua aetate Samaritani Pentateuchum receperint, et Moysem eius auctorem venerari inceperint. Hac in re, duae sunt eruditorum opiniones. 1^a Tenet Pentateuchum ad Samaritanos primum allatum fuisse a Manasse sacerdote illo *Iudaeo* qui templum Garizim extruxit; quod si admittatur codex Samaritanus non esset antiquior Alexandro M. 2^a Sententia docet

Pentateuchum Samaritanos recepisse a primo illo sacerdote *Israëli*, quem vidimus a Rege Assyriorum in Samariam missum fuisse: si hoc admittatur codex Samaritanus septem ante Christum sæculis ad gentem illam delatus fuisset. Præstabit fundamenta utriusque opinionis breviter expendere.

Prima opinio, quam prae ceteris Gesenius defendit (1), sequentibus argumentis innititur 1° Samaritani, ante epocham Alexandri M. nullum certum ac rite ordinatum cultum habuisse videntur; postea vero Legi Mosaicae addicti fuerunt, et a profanis ritibus abstinerunt. Ergo ab illa ætate tantummodo Pentateuchum recepisse dicendi sunt. 2° Urgent similitudinem aut potius identitatem, quæ apparet inter textum Hebraicum et textum Samaritanum, quæ certe non extaret si duo isti textus per multa sæcula independenter ad invicem transcripti et propagati fuissent. 3° Contra vero leves aliquot discrepantiæ in quibusdam vocibus manifeste originem habent ex librorum incuria vel incidia, qui textum Hebraicum exscribentes litteris Samaritanis, recentiores Hebraicos characteres similes non distinxerunt ex. gr. *jod* et *vau*, *mem* et *samech*, *tsade* et *ajin*: quod ostendit Pentateuchum Samaritanis innotuisse postquam Hebraei alphabetum immutaverant, scilicet post captivitatem Babyloniam. Omne vero dubium, de recentiori huius codicis origine, removet lectio Dent. XXVII, 4 ubi pro monte *Hebal* legitur monte *Garizim*, quod manifestum signum est textum ipsum descriptum fuisse post aedificationem templi in monte Garizim.

Alterâ sententiâ longo graviora argumenta affert, et rationibus contrariæ sententiæ satisfacere potest; quapropter primæ omnino præferenda est. Et sane 1° minime verosimile est Samaritanos ætate Alexandri, cum tantopere Iudæis infensi erant, ab eis voluisse Pentateuchum recipere, opus scilicet, quod codicem continentem religiosum tum politicum, cui omnes sub severissimis poenis se subicere debent. 2° Samaritani solum Moysi Pentateuchum recipiunt et agnoscunt. Iamvero si sacros libros a Manasse illo sacerdote recepissent, cur non etiam reliquos libros canonis Hebræorum haberent, qui Manassis ætate omnes iam scripti erant, et in unum volumen collecti sacrum Iudæorum codicem constituerent? 3° Samaritanorum historia rem confirmat; siquidem diu ante Alexan-

(1) In Libro: *De Pentateuchi Samaritani origine, indole et auctoritate comm. Philologico-Critica*, Halæ 1815.

drum, scilicet ætate Nehemiae, et etiam ætate præcedente, ut ex locis citatis apparet, Mosaicae Legi addicti erant, et uti tales haberi volebant, quod argumento est eos Moysi libros legisse; neque enim Lex tam implexa, tam varia, tam minutis et arduis præceptis ac ritibus onerata, sine scriptis disci vel observari potuisset. Quod nos recta via ducit ad sacerdotem illum Israelitam ab Assarhaddone missum. 4° Quod etiam suadet directe ex huius sacerdotis eiusque missionis historia. Missus est enim ut populum in regionem illam recens illatum doceret « *legitima Dei terræ*, » scilicet rationem cultus quo Deus in terra illa ab Hebræis antea colebatur, qui fuit cultus a Moysæ præscriptus (1). Iam vero licet Scriptura non dicat eum Pentateuchi exemplar secum attulisse, hoc tamen necessario admittendum est; impossibile enim fuisset integrum populum præsertim paganum et veri cultus ignarum tam multiplicem, implexam ac difficilem præceptorum et caeremoniarum congeriem docere, et quidem ita ut in eius observantia tot sæculis perseveraret; impossibile, inquam, fuisset sine scriptis Legis exemplaribus. Nisi forte cum Bergier aliisque dicamus Pentateuchum afferri non debuisse, quia hic apud Samaritanos iam extaret, scilicet a paucis illis Israelitis conservatus qui in regione relicti fuerant. Quod quidem si verum esset, argumenti vim non imminueret, sed auferret ut per se patet: verum hæc hypothesi aliunde inverosimilis videtur, siquidem qui relicti fuerant ex Israelitis infimæ plebis homines fuisse videntur, et si apud illos sacerdotes aut alii in Lege periti fuissent, qui scriptam Legem haberent, nulla fuisset necessitas sacerdotem ex Assyria mittendi qui populum doceret.

Rationes pro contraria opinione adductæ parvi momenti sunt. Ad 1^{am} enim respondetur falsum esse ante epocham Manassis et Alexandri Samaritanos certum ac rite ordinatum cultum non habuisse; imo contrarium ex factis superius adductis apparet. Ad 2^{am} dicimus imprimis non deesse varietates et discrepantias inter textum

(1) Hæc in textu 4 Reg. XVII. 27, 28 ita referuntur: « Præcepit autem rex Assyriorum dicens: Ducite illic unum de sacerdotibus quos inde captivos adduxistis, et vadat et habitet cum eis: et doceat eos legitima Dei terræ. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, et docebat eos quemodo colerent Dominum. »

Hebraicum et Samaritanum, ut apparet ex sola inspectione harum varietatum, quas Walton collegit in ultimo tomo Polyglottae Londinensis, ex quibus sufficit commemorare notissimam discrepantiam utriusque textus in aetate Patriarcharum, et consequenter in tota V. T. chronologia. Verum quantumvis exaggeretur conformitas textus Samaritani cum Hebraico, haec nunquam demonstrabit alterum ex altero recentiori aetate exscriptum fuisse. Siquidem huiusmodi conformitas satis superque explicaretur ex summa diligentia ac religione, qua Pentateuchus ab utraque gente semper custoditus fuit. 3° Nec quidquam proficiunt adversarii quum aliquot lectiones Samaritanas afferunt, quae ex recentioribus Hebraeorum literis non bene intellectis ortae videntur. Ut enim recte observat Walton in Proleg. XI n. 12, lectiones istae aliter explicari possunt: scilicet vel ex codicum vetustiorum vitio, quod a Samaritanis conservatum fuerit, ab Hebraeis autem, opera praesertim Esdrae, correctum, vel ex eo quod, codicibus non consentientibus, Samaritani unam lectionem, Esdras autem aliam sequuntur sit. Idque eo magis verosimile apparet quod aliquando, imo plerumque, varietates istae occurrunt ubi literae diversam omnino figuram habent, nec invicem permutari potuissent. Insuper praeter vocum diversitatem plures occurrunt transpositiones, et integrorum versuum repetitiones, aliaque huiusmodi, quae omnino ostendunt Codicem Samaritanum ex codicibus Esdrinis minime prodixisse. Denique etiamsi admitteremus lectiones quasdam in textum Samaritanum ex recentioribus Hebraeorum codicibus derivatas fuisse non statim sequeretur quod adversarii volunt. Quid enim si diceremus Samaritanos vetustos codices quos habebant contulisse cum recentioribus quibusdam Babylonicis litteris exaratis iuxta Esdrae recensionem, quos fortasse Manasses ille, vel alii transfugae Iudaeorum ad illos detulerant? Haec sane hypothesis ex una parte vim omnem argumento adversariorum detraheret, ex altera vero minime absurda est; si enim repugnat Samaritanos a Iudaeis codicem ipsum Moysi primum suscepisse, facile tamen intelligitur eos textum ipsum, quem iam independentem a Iudaeis possidebant cum Iudaeorum exemplaribus conferre voluisse. Quod autem respicit lectionem Deut. XXVII, 4 responderi potest lectionem illam revera esse posteriorem captivitate Babylonica, et ipsa aetate Alexandri, sed hoc minime probare textum integrum esse aetate illa recentiore. Scilicet Samaritani post ae-

dificatum templum in monte Garizim, ad suam opinionem de sede divini cultus contra Iudaeos firmandam in antiquis, quos habebant, codicibus vocem Hebal in Garizim forte immutarunt; ita communiter critici cum Fabricy (Titres primit. de la revel. Tom. 2 pag. 486) Carpovio (Critica sacra pag. 933) Eichhorn (Introductio V. T. Tom. 1° pag. 215) et aliis plerisque. Non desunt tamen, qui contendunt antiquiorem et genuinam illius loci lectionem esse *Garizim*, et mutationem potius in textu Hebraeorum factam esse. Ita Whiston et Kennicott (Dissert. 2. super Text. Hebr. Cap. I) quorum tamen sententia improbabilis videtur. Iohannes Bern. De Rossi in Vol. 2° *Variarum Lectionum V. T.* pag. 58. media quodammodo via incedens lectionem Hebraicam *Hebal* praefert quidem Samaritanae *Garizim*, at tamen Samaritanos a fraudis crimine excusat: « Optime enim, inquit, interpolatio haec, salva publica fide » nationis, a privato aliquo critico sive Samaritano, *sive Israelita* » fieri potuit, qui ex conjectura locum emendarit. Aplus enim » electioni congruit *Garizim*, mons benedictionis, quam *Hebal*. » Omnibus itaque recte perpensis, apparet omnino praefendam esse sententiam, quae Pentateuchi originem apud Samaritanos non a Manasse sacerdote Iudaeo recentiore, sed ab antiquo illo Israelita sacerdote ab Assorbaddone misso repetit ideoque Samaritanum textum Pentateuchi, et gentis illius persuasionem de Moysae eius auctore septem saeculis aera Christiana antiquiorem esse. Quod quanti momenti sit, cum agatur de gente a Iudaeis semper divisa, eisque infensa, nemo non videt. Verum licet etiam ad remotiorem epocham ascendere, posito testimonio Samaritanorum. Quae enim potest undenam, et quando sacerdos ille Pentateuchum receperit quem in Samariam ex Assyria detulit? Codex ille unus erat ex iis qui in regno Israel, ad quod sacerdos pertinebat, conservabantur. Iam vero quis unquam sibi persuaserit Israelitas hos codices a Iudaeis recepisse post utriusque regni separationem, cum nemo ignoret quanta inter utrumque regnum divisio, agentibus praesertim impiis regibus Israel, et falsis *excelsorum* sacerdotibus, existeret? Necessario itaque veniendum est, ad epocham Roboami, sub cuius regni initio separatio decem tribuum facta est, novem scilicet A. C. saeculis, ita ut Israelitae Pentateuchum habuerint inde ab aetate qua cum Iudaeis unum populum constituebant. Quo posito, iam res ad epocham Salomonis et Davidis deducta est, cumque eorum

aetate Pentateuchus confictus nulla veritatis specie affirmari possit, recta ducimur ad aetatem Iudicum, unde ad Moysen brevis ac necessarius est transitus, ut ex dicendis clarius apparebit. Et haec sufficiant de testimonio Samaritanorum.

2° Accedit testimonium *Ethnicorum* — Nemo certe a profanis scriptoribus expectabit continuatam seriem testimoniorum pro Moisaica origine Pentateuchi; hoc enim impossibile apparet, ex eo quod pauci sunt qui in remota aetate apud Ethnicos aliquid scripserint, et ex his pauciores adhuc sint quorum opera vel etiam fragmenta ad nos pervenerint; denique non omnibus profanis scriptoribus oblata est occasio de Moysae eiusque libris loquendi. Verum ex alia parte fallitur omnino Voltairius cum in Dictionario Philos. art. *Moyses* consueta sua temeritate pronunciat Moysen toti mundo ignotum fuisse ante epocham Ptolemaei Philadelphi. Sane scriptores alias citati multa afferunt testimonia quorum alia antiquiora sunt Ptolemaeo Philadelpho, alia quamvis recentiora, sunt tamen valde antiqua et ex vetustioribus monumentis certe deprompta: talia sunt testimonia *Manethonis, Philochori Atheniensis, Eupolemonis, Ptolemaei, Ephestionis, Nicolai Damasceni, Hieronymi Aegyptii, Artapani, Chaeremonis, Alexandri Polyhistoris, Apollionis* aliorumque, quorum opera perierunt sed fragmenta quae ad rem nostram faciunt ab Eusebio, Iustino, et Iosepho Flavio recitantur. Ex his nonnulla in praecedenti Thesi laudavimus ex. gr. Manethonis, Chaeremonis et Strabonis, quibus nunc addimus, speciminis gratia, alia nonnulla. *Diodorus Siculus* in lib. I. Bibliothecae, tractans de celebrioribus gentium legislatoribus, cum ad Hebraeos devenit ait: « Apud Hebraeos quidam Moyses extitit, qui leges eisdem reliquit, quas a Deo Iao se accepisse dicebat; » ubi manifeste alludit ad Moysis libros, in quibus lex Hebraeorum continetur, et Deus Iehovah vocatur, quod corrupta pronuntiatione a Diodoro dicitur Iao, nisi forte et hoc recte positum sit, cum Dei nomen tetragrammaton a Iudaeis seorsim nunquam pronuntiatum, in compositione aliorum nominum laudatam pronuntiationem, vel omnino similem habeat. Idem vero auctor apud Photium *Biblioth. cod. 244* refert Moysen ducem fuisse Hebraeorum coloniae ex Aegypto emigrantis, populum in duodecim turmas divisisse, illis vetuisse imprimis simolacrorum cultum, Legemque vivendi a ceteris gentibus diversam dedisse. *Iustinus* historicus in lib. XVI historiam et Legem

Pentateuchi summatim commemorat, quod testimonium non eius tantum est, sed praecipue *Trogii Pompeii* antiquioris scriptoris, cuius libros ille in compendium redegit. *Anaxagoras* unus ex vetustissimis Graecorum philosophis, teste Theodoro, Moysis libros legerat, quemadmodum apparet etiam ex librorum eius exordio ab Eusebio laudato: « Omnia simul erant, deinde Mens superveniens ea in ordinem digessit » (V. Laertium de vit. et mor. Philos. Lib. II ad vocem *Anaxagoras*). Idem de *Aristotele* et *Platone* plures sentiunt; quare Aristobolus Iudaeus philosophus demonstrandum assumpsit Peripateticam philosophiam magna ex parte ex Moysi scriptis manasse (V. Clem. Alex. Strom. Lib. V). *Ecathaeus Abderita* Aristotelis aequalis librum de Iudaeis scripsisse fertur, in quo Moysen eiusque Legem impense laudabat (Clem. Alex. ibid.); et ut alios omittamus, *Longinus* Rhetor in tractatu de Sublimi Cap. VII librum Moysi, citat. « Iudaeorum legislator, inquit, vir minime vulgaris, eum altum de Dei maiestate et potentia conceptum sibi efformasset eum mirifice expressit initio sui codicis hisce verbis: Dixit Deus: fiat lux et facta est lux. » *Tacitus* Histor. lib. V Cap. 4 « Moyses, inquit, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque caeteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quae apud nos sacra: rursus concessa apud illos, quae nobis incesta. Elligiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerunt, penetrali sacravere, caeso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Aegyptii Apin colunt. Sae abstinere memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur, et raptarum frugum argumentum, panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit, dein blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviae datum. » Quo in loco, inter plures errores, et in magna factorum ac temporum confusione, manifestum est Romano historico Moysen legem et scripta ignota non fuisse. Idem apparet ex testimonio Iarvenalis, qui in satyra XIV quae est *de recta liberis educandi ratione* inter alios carpit parentes illos qui Iudaeorum legem, et Moysen volumem pro vivendi norma habebant: